



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Hæretici Præcipvi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

gressus, quod imitatus est longo post tempore Lombardus. Claruit sub Leone Isauro, & Constantino Copronymo, circiter annum Domini. 730. sub Irene non amplius in viuis fuit.

## HÆRETICI PRÆCIPVI.

**M**onothelitæ, à dogmate sic vocati, ex Apollinaristarum & Eutyichianorum fœcibus deriuantur. Eorum author primus Cyrus, Alexandrinus Episcopus: patroni autem Sergius Constantinopolitanus Patriarcha, & Macarius, sub Heraclio Imp. & Bonifacio I. V. ac V. Pontif. circa annum à Christo passo 579. innotuerunt. Damnati sunt in Synodo Constantinopolitana tertia, anno Christi 680.

Papismus tandem exortus est, qui superiores omnes hæreses partim vt alueus recepit, partim vt mare absorpsit; alieno quidem nomine, sed tamen earum dogmate retento & confirmato. In neruum autem erupit hæc Ecclesiæ vniuersæ internecio, circa annum Christi 606. quando Phocas Imp. Bonifacio III. Pontifici Romano primatum super omnes Ecclesias concessit.

Mahumetismus Papismum secutus est proxime. Nam anno 12. Heraclii Imperatoris, sub extremo pontificatu Bonifacii V. circa annum à Christo passo 589. nata est primum hæc mundi lues, & hæresis plusquam blasphema, vel potius hæresiconlacuna. Totum autem Orientem & Meridiem celerrime occupauit; quemadmodum Papismus totum Occidentem & Septentrionem. Et si vero aliquæ in iis locis sunt Ecclesiæ: tñ q̄ misera sit illarum conditio, & q̄ deprauata sit doctrinæ

nequa

confessio, ex eo intelligi potest, quod decem sunt genera Christianorum, qui Orientem hinc inde habitare traduntur: nimirum: Latini, Graeci, Indi, seu Æthiopes, Iacobitæ; qui & Coptitæ; Nestoriani: Maronitæ: Armenii: Georgiani: Suriani, & Mozorabes. Mahumetismus autem à Mahumede dictus est, homine obscuro loconato & egeno; sed ingenio acri, facundia, audacia; & forma insigni prædito. Hic in Arabia deserta opes magnas nactus, ex cōiugio anus quinquagenariæ, mercaturâ primum exercuit; mox apimum ad nouam religionem, atque regnum constituendum appulit. Quamobrem adiurus à Monacho Sergio, qui ob Arianam sectam Constantinopoli pulsus in Arabiam profugerat, ac aliis quibusdam hæreticis, & Iudæis, Alcoranû condidit, qui religionem complectitur ex veteri & nouo Testamento compilatam, & pulchre ad hominum sensus, affectus, & voluntates accommodatam. Christum negat Deû esse, sed hominem tantum fuisse, ait, qualis ante ipsum fuerit Moses, donis scilicet ingentibus miraculorum ornatum: se vero nuncium & prophetam Deî professus est, qui mandatum à Deo habeat armis cogendi homines ad Dei cultum, quos antea miraculis suis neq; Moses neq; Christus ad Deû traducere potuerint. Et quo plus authoritatis haberet noua religio, & ipse etiam magis coleretur à suis, finxit congressus & colloquia mutua cum Michaele Archangelo, ab eoque sibi reuelari, & inspirari omnia, quæ ageret, dixit. Hinc secta enata est, quæ Saracenicæ fuit appellata,

lata,

lata, à Sara scilicet, Abrahami coniuge, quasi heres esset promissionum, quæ Saræ & Abrahamo factæ sunt. Item Agarena, ab Agar, Ismaelis matre. Hoc fundamento iacto, incredibilis & quidem repentina inclinatio voluntatum ad eum incubuit in Arabia. Quare libertati vrbs suæ metuens, Meccæ Magistratus consilium de reprimendis conatibus eius capiendum duxit. Ille vero vbi insidias vitæ sibi paratas cognouit, Mecca profugit, stipatus multitudine affinium, propinquorum, clientum, quos omni cautione, fœdere, execratione sibi deuinxit, & Meccam cum exercitu inuasit. Redibat id temporis forte Heraclius Imperator ex persico bello, à quo Mahometus regionem adhabitandum petebat, atque etiam obtinebat: Arabes vero, qui militauerant in exercitu Heraclii, cum frustra stipendium flagitarent, & cum contumelia etiam repellerentur à quæstore Imperatoris, qui canum turbas appellabat eos; mox sese Mahometo adiunxere. Horum igitur ope Meccam ille expugnauit, prædam amplam inter milites distribuit, & progressus longius Arabiam totam occupauit. Inde ergo religio Mahometica siue Saracenicæ illa secta in omnem Arabiam celeriter peruasit, serpsitque infinitum illud malum, ita vt multo maximam partem orbis terræ complexum sit.

L s

CON-